

*gardevordensis episcopi papa Adriano iubente prefecit. Sanctus autem Hildegimus DCCLXXXI episcopatum Halberstat transmutavit. Hii sunt autem huius ecclesie termini: fluvius Albea, Sala, Unstrada, fossa iuxta Grune, altitudo silve que vocatur Hart, Ovakra, Dasanek, Druhchtesbeke, Elera, Isunna, Ara, Milla, Percekina et iterum Albea.*¹

2. 804. *Imperator Karolus parrochiam Halberstadensem certis undique circumscripsit terminis suoque augustali imperio et inprevaricabili privilegio firmavit 804 Idus May, indictione 10, sui autem regni 34, imperii vero tercio, ordinationis Hildegrimi episcopi 23, in palatio Sarh nominato. Eodem etiam tempore habito conventu in palatio eodem, imperator omnes Saxones antiqua libertate donavit, eosque pro conservanda fide catholica ab omni solvit tributo, excepto quod eos omnes, divites scilicet ac pauperes, totius suae agriculturae ac nutriturae decimas Christo ac sacerdotibus eius fideliter reddere iussit.*²

B. Die Quedlinburger Annalen.

3. 780. *Carolus inter Arae et Albiae confluentiam Saxones baptisari praecepit.*

4. 781. *Carolus de Roma reversus in Franciam, terram Saxonum inter episcopos divisit et terminos episcopis constituit; et sancto Stephano protomartyri in loco qui dicitur Seliganstedi monasterium construxit, quod postea in locum translatum est, qui dicitur Halverstede, ubi nunc est sedes episcopalis. Idque ad corrigendum et propagandum Cathalaunensi episcopo Hildegrimo, qui frater erat beati Liudgeri confessoris, commendavit; huiusque episcopii terminos constituit fluvios Albiam, Salam, Unstradam, fossam iuxta Gronighe, altitudinem sylvae, que vocatur Haertz, Ovaccram, Schuntram, Dasanek, Drichterbiki, Aeleram, Isunnam, paludem quae dividit Bardangaos et Huutangaos, Aram, Millam, Bimam, et Percekinam et iterum Albiam.*

5. 803. *Carolus conventu habito in palatio Saltz, Saxones antiqua libertate donavit, eosque pro conservanda fide catholica ab omni solvit tributo, excepto quod illos omnes, divites ac pauperes, totius suae culturae ac nutriturae decimas Christo et sacerdotibus eius fideliter reddere iussit.*

¹) MG. SS. 30, 20.

²) JAFFÉ, Bibl. rer. Germ. 1 (1864) n. 471 S. 602 f.